An. et vol. XXXXI 22 Decembris 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacrum Consistorium, p. 577 – Constitutiones Apostolicae, p. 586 – Epistulae, p. 591 – Allocutiones, p. 597 – Nuntius radiophonicus, p. 610.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 615 – *S. C. de disciplina Sacramentorum*: Decretum, p. 616 – *S. C. Rituum*: Communicatio, p. 617 – *S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus*: Epistula, p. 618.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 620.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine, pp. 623-624.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis: In Italia, Lib. 800
In Europa, Lib. 2000; extra Europam $ 4
Pretium unius fasciculi: In Italia, Lib. 75
In Europa, Lib. 180; extra Europam $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 14 - 22 Decembris 1949)

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SECRETUM
(die 12 Decembris 1949)

PAG.

I. Allocutio Summi Pontificis et deputatio trium Cardinalium a Latere Legatorum 577
II. Provisio Ecclesiarum 580
III. Postulatio Palliorum 586

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Sciamhaevensis* (De Yangchow - De Haichow). - A Dioecesi Sciamhaevensi duae partes, ad septentrionem Dioecesis Haemenensis sitae, disiunguntur et Praefecturae Apostolicae de Yangchow et de Haichow eriguntur. - 9 Iunii 1949 586
II. *Sciamhaevensis* (Suceuvensis). - Dioecesis Sciamhaevensis territorium, ad meridiem situm Dioecesis Haemenensis, bipartitur et nova erigitur Dioecesis « Suceuvensis » nomine, Metropolitanae Nanchimensi Ecclesiae suffraganea. - 9 Iunii 1949 588

EPISTULAE

I. *Primo revoluto saeculo.* - Ad Revmum P. Iosephum Silvestrum Juergens, Societatis Marialis Moderatorem Generalem: primo impleto saeculo a piissimo Conditoris eiusdem Societatis obitu. - 30 Iunii 1949 591
II. *Quamquam non ignotum.* - Ad Excmum P. D. Laurentium Jaeger, Archiepiscopum Paderbornensem: litteris respondet de S. Bonifatii Societate in Germania, per plenum saeculum erga Catholicam Ecclesiam optime merita. - 12 Augusti 1949 593
III. *Testes obsequii.* - Ad Emos PP. DD. Michaëlem tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Card. Faulhaber, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, Iosephum tit. S. Ioannis ante Portam Latinam S.R.E. Presb. Card. Frings, Archiepiscopum Coloniensem, Conradum tit. S. Agathae S. R. E. Presb. Card. von Preysing, Episcopum Berolinensem ceterosque Germaniae excellentissimos Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios. - 18 Octobris 1949 595

ALLOCUTIONES

I. Sociis Unionis iurisperitorum catholicorum Italiae, ob nationalem Conventum Romae coadunatis. - 6 Novembris 1949 597
II. Ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis Sacrae Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores. - 13 Novembris 1949 . . . 604
III. Ad Excmum Virum Franciscum de Paula Pérez, Columbianae Reipublicae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. - 27 Novembris 1949 608

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Aegrotis, qui statuta die suos dolores Deo obtulerunt pro salutari animarum profectu in anno Iubilaei. - 21 Novembris 1949 610

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 615

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Decretum 616

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Communicatio 617

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Epistula. Ad Excellentissimos ac Reverendissimos locorum Ordinarios. - 15 Augusti 1949 618

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:
I. *Vicariatus Apost. de Bangueolo.* - Nullitatis matrimonii (Chila-Njimu). - 29 Octobris 1949 620
II. *Alba Julien.* - Nullitatis matrimonii (Kovàcs-Novàk). - 19 Novembris 1949 621
III. *Jasen.* - Nullitatis matrimonii (Szots-Bothe). - 21 Novembris 1949 622

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 623
II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 623
III. Segreteria di Stato: *Nomine* 624

An. et vol. XXXXI 22 Decembris 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

Feria II, die XII mensis Decembris a. MCMXLIX in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur:

I – ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI ET DEPUTATIO TRIUM CARDINALIUM A LATERE LEGATORUM

VENERABILES FRATRES

Vos hodie ea praesertim de causa hunc in amplissimum consessum convocavimus, ut quae in Iubilaeo Maximo inchoando statuenda essent, ea ex Decessorum Nostrorum more decerneremus.

Ac cupimus imprimis vobis coram immortales Deo grates agere, cuius munere datur ut laetis auspiciis proximum hoc summae gravitatis eventum iam Ecclesiae affulgeat; ab eoque supplicibus petimus precibus non modo ut Nobis benigne velit suppeditare vires tantae exsequendae causae necessarias, sed ut etiam omnibus supernas largiatur gratias, quibus adiuti ac permoti ad conformandos christiana doctrina christianaque virtute mores adducantur; quod quidem potissimum indictus Annus Sacer ab omnibus postulat.

Magnum profecto spectaculum visuri sumus. Dum enim post acerbissimum bellum, quod tot tantasque clades peperit immanesque ruinas, gentes, populi civiumque ordines nondum ad auspicatissimam illam pervenere concordiam, ex qua futurae dimicationes tuto modo arceri queant, humanoque generi liceat pacem veri nominis assequi; Sancta Dei Ecclesia undique terrarum Romam respicit, Romam cogitat, Romam contendere cupit, catholicae veritatis magistram, unitatis sedem, christianae pietatis fraternaeque caritatis altricem. Innumerae procul dubio peregrinantium turmae ex longinquis etiam ac transmarinis terris, ex urbibus, ex oppidis, ex viculis, itineris difficultatibus libenter superatis, ad Petri arcem advenient, quam nulla humana potentia subruere potest, quam nullae errorum fallaciae tangunt, quam turbida odia simultatesque diffringere nequeunt. Heic suorum animorum labes abluent, ac suavem experientur intimamque pacem; heic ad virtutem cotidie impensius assequendam et ad apostolatus opera exercenda exardescent; heic denique, falsis repulsis ac recusatis opinationibus, evangelicam illam sententiam Iesu Christo repetent, cuius Nos in terris personam sustinemus: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ».[1]

Magnum utique spectaculum visuri sumus; neque Nos, neque Romani tantum, sed quotquot etiam ubique gentium recta mente sanoque iudicio ducuntur. Cernent siquidem omnes Iesum Christum tantummodo ab Eoque conditam Ecclesiam posse pacem sinceram solidamque concordiam mortalium animis donare. Haec enim pax, haec mansura concordia ex christiana conscientia oriuntur, divinis praeceptis conformata divinaque gratia alita; atque adeo nulla eas potest terrena res turbare, nulla auferre, nulla rapere humana potestas.

Atque utinam, Venerabiles Fratres, ii etiam qui a Catholica Ecclesia omnino seiuncti sunt, vel ab ea ob neglegentiam praeiudicatasque opiniones aberrarunt, salutari quodam modo

[1] Ioan., VI, 69.

permoveantur; ac vehemens in animo cuiusque suo desiderium sentiant illius concordis unitatis veritatisque integerrimae, quas Divinus Redemptor non modo docuit, sed suo etiam profuso cruore consecravit. Hunc etiam saluberrimum fructum afferat, ut flagranter cupimus, proximus Annus Sacer; hoc impetrent a Deo supplicationibus, piaculis ac paenitentiae caritatisque operibus christifideles omnes; ita quidem ut, dum se christiano spiritu renovant, [2] dum incipiunt volentes in novitate vitae ambulare,[3] ceteros quoque pro viribus omnes, praelucenti exemplo suo, ac divino implorato auxilio, ad idem propositum efficiendum alliciant atque perducant.

Faxit misericordissimus Deus ut Anni Sacri decursu nova aetas, iustior, sanctior ac felicior humanae consortioni illucescat. Faxit tandem ut « cunctae familiae gentium, peccati vulnere disgregatae, Eius suavissimo subdantur imperio.[4]

Dum Nos haec vota ex animo elicimus Deoque efficienda commendamus, iam ad id libenter gradum facimus, quod in praecipua causa fuit, cur amplissimum Ordinem vestrum hodierna die convocaremus.

Ex antiquissimo Apostolicae Sedis instituto, ut probe nostis, Anno Sacro initium fieri solet a quattuor reserandis Patriarchalium Basilicarum portis sanctis; idque sollemni eo ritu evenit, quo docemur spirituales Ecclesiae thesauros latius iis omnibus patefactos esse, qui suas expiandi animi labes desiderio compulsi, indicti Iubilaei Maximi beneficiis frui exoptent, atque imperata opera expleant. Quamobrem pridie Natalem Domini Nostri Iesu Christi, exemplo Decessorum Nostrorum Vaticanae Basilicae portam sanctam Nosmet ipsi, Deo favente, aperiemus. Cum autem eamdem caerimoniam ad reliquas Patriarchales Basilicas eadem die eademque hora per Legatos Nostros fieri oporteat, auctoritate Dei Omnipotentis, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra, Legatos Nostros deligimus ac renun-

[2] Cf. *Ephes.*, IV, 23.
[3] Cf. *Rom.*, VI, 4.
[4] Ex *Breviario Rom.*, in festo Chr. Regis.

tiamus Venerabilem Fratrem Nostrum Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, eumdemque Sacri Collegii Subdecanum, qui portam sanctam Basilicae S. Pauli ad viam Ostiensem Nomine Nostro aperiat; item Venerabilem Fratrem Nostrum Clementem S. R. E. Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum, qui portam sanctam Basilicae Lateranensis nomine Nostro aperiat; ac denique Dilectum Filium Nostrum Alexandrum S. R. E. Cardinalem Verde, Liberianae Basilicae Archipresbyterum, qui portam sanctam eiusdem Basilicae nomine Nostro aperiat. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Legatis autem hisce Nostris facultatem facimus iis omnibus, quotquot sacro ritui pia mente pioque animo intererunt, auctoritate Nostra benedicendi, proposita iisdem plena commissorum venia, statis condicionibus lucranda.

Iam nihil aliud reliquum est, nisi ut sacrum Episcopalem Ordinem suppleamus.

II – PROVISIO ECCLESIARUM

Tum Ssmus Dominus Noster his, quae sequuntur, Ecclesiis proprios Pastores assignavit, nimirum:

Cathedrali Ecclesiae Southwarcensi praefecit R. D. Cyrillum Cowderoy, Cubicularium intimum Summi Pontificis et Cancellarium Curiae eiusdem dioecesis Southwarcensis.

Cathedrali Ecclesiae Feretranae R. D. Antonium Bergamaschi, archipresbyterum parochum in oppido Caorso, in dioecesi Placentina.

Titulari episcopali Ecclesiae Coronensi R. D. Claudium Colling, canonicum et parochum metropolitanae ecclesiae Portalegrensis in Brasilia, quem deputavit auxiliarem Exc. P. D. Antonii Reis, Episcopi S. Mariae.

Insuper, per Apostolicas sub plumbo Litteras, alios iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit, videlicet:

PATRIARCHAM:

Hierosolymitanum, Albertum Gori.

ARCHIEPISCOPOS :

Laodicenum in Syria, Guidonem Aloisium Bentivoglio, iam Episcopum Abellinensem, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Carmeli Patanè, Archiepiscopi Catanensis.

Sebastopolitanum in Abasgia, Henricum Dutoit, iam Episcopum Letopolitanum.

Pompeiopolitanum in Paphlagonia, Andream Taccone, iam Episcopum Rubensem et Bituntinum.

Rhizaeanum, Franciscum Lardone, Nuntium Apostolicum apud Respublicas Dominicanam et Haitianam.

Cyzicenum, Emmanuelem Mariam Ferreira da Silva, iam Episcopum Gurzensem.

Compostellanum, Ferdinandum Quiroga y Palacios, iam Episcopum Mindoniensem.

Fomtienensem, Ignatium Pi Shu-Shih.

Calaritanum, Paulum Botto.

Parisiensem, Mauritium Feltin, iam Archiepiscopum Burdigalensem.

Phullitanum, Gabrielem M. Reyes, iam Archiepiscopum Caebuanum, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Michaëlis O'Doherty, Archiepiscopi Manilensis, cui iam successit.

Silycnsem, Leonem Binz, iam Episcopum Pinarensem, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Henrici Patritii Rohlman, Archiepiscopi Dubuquensis.

Leontopolitanum in Pamphylia, Franciscum Beretti, iam Episcopum Caesariensem Philippi.

EPISCOPOS :

Lomzensem, Caeslaum Falkowski.

De Salem, Lurdu Mariam Selvanaden.

Bellaryensem, noviter erecta dioecesi, Ioannem Forest Hogan.

Cuttackensem, Paulum Tobar Gonzales.

Bladiensem, Aemilianum Hieronymum Pillai, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Alphridi Guyomar, Episcopi Iaffnensis.

Alabadensem, Iosephum García Graín, Vicarium Apostolicum Portus Maldonadi.

Belalitanum, Bernardum Mels, Vicarium Apostolicum Luluaburgensem.

Callipolitanum, Iosephum Albertum Wittebols, primum Vicarium Apostolicum Wambaënsem.

Sbidensem, Ioannem Groen, primum Vicarium Apostolicum Bandjermasinensem.

Pitanaeum, Emmanuelem Ledvina, iam Episcopum dioecesis Corporis Christi.

Caruarensem, noviter erecta dioecesi, Paulum Hippolytum de Souza Liborio.

Agbicnsem, Ignatium Ioannem Dal Monte, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Pii Freitas Silveira, Episcopi Ioinvillensis.

Axomitanum, Carolum Helmsing, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Ritter, Archiepiscopi Sancti Ludovici.

Helenopolitanum in Palaestina, Aloisium Ioannem Guyot, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Theophili Mariae Louvard, Episcopi Constantiensis.

Penedensem, Felicem da Cuncha Vasconcellos.

Patavinum, Hieronymum Bartholomaeum Bortignon, iam Episcopum Bellunensem et Feltrensem.

Gazerensem, Patritium Iacobum Byrne, Delegatum Apostolicum in Korea.

Ovetensem, Franciscum Xaverium Lauzurica y Torralba, iam Episcopum Palentinum.

Aimerensem, Leonem D'Mello.

Zinceuvensem, Petrum Gratianum Grimm.

Chomatitanum, Laurentium Bianchi, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Henrici Valtorta, Episcopi Sciiamchiamensis.

Aezanitanum, Evangelistam Mac Bride, Vicarium Apostolicum de Kokstad.

Ahmedabadensem, noviter erecta dioecesi, Edwinum Pinto.

Maridensem, Tullium Botero Salazar, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Ignatii Lopez, Archiepiscopi Carthaginensis in Columbia.

Vatarbensem, Arthurum Duque Villegas, Auxiliarem Exc. P. D. Petri Rodriguez Andrade, Episcopi Ibaguensis.

Amyzonensem, Balthassarem Alvarez Restrepo, Auxiliarem Exc. P. D. Aloisii Concha, Episcopi Manizalensis.

Poonensem, Andream D'Souza.

Amporensem, Iosephum Calasanctium Rosenhammer, Vicarium Apostolicum de Chiquitos.

Sancti Ferdinandi, noviter erecta dioecesi, Caesarem Guerrero, iam Episcopum Limisensem.

Cliftonensem, Iosephum Rudderham.

Nephelidensem, Leonem Lommel, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Philippe, Episcopi Luxemburgensis.

Zelitenum, Alexandrum Olalia, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Constantii Jurgens, Episcopi Tuguegaraoani.

Derbeum, Ioannem De Souza Lima, Auxiliarem Exc. P. D. Seraphini Gomes Jardim, Archiepiscopi Adamantini.

Sindensem, Thomam Bernardum Pearson, Auxiliarem Exc. P. D. Thomae Eduardi Flynn, Episcopi Lancastrensis.

Syenitanum, Ioannem Baptistam Grellinger, Auxiliarem Exc. P. D. Stanislai Bona, Episcopi Sinus Viridis.

Sarsinatensem, Aemilium Biancheri.

Feltrensem et Bellunensem, Ioachim Muccin.

Cissitanum, Ioannem Cayer, Vicarium Apostolicum Aegypti.

Durensem, Bernardinum Collin, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Angeli Pauli Hiral, Vicarii Apostolici Canalis Suesii.

Limburgensem, Gulielmum Kempf.

Samiensem, Matthaeum Sperandeo, Auxiliarem Exc. P. D. Michaëlis Raphaëlis Camerlengo, Episcopi Nolani.

Lublinensem, Petrum Kalwa.

Uanscienensem, Matthiam Tuan In-Min.

Feniamensem, Simonem Ley.

Chiatimensem, Paulum Ten Gan-Lin.

Suceuvensem, noviter erecta dioecesi, Ignatium Kiong Pim-Mei.

Jerichuntinum, Tarcisium Vincentium Benedetti, Auxiliarem Exc. P. D. Adeodati Ioannis S. R. E. Card. Piazza, Episcopi Sabinensis et Mandelensis.

Thebanum Coptorum, Jsaac Ghattas.

Campinae Grandis, noviter erecta dioecesi, Anselmum Pietrulla, iam Episcopum Conanensem et Praelatum « nullius » Santaremensem.

Fatensem, Franciscum Zauner, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Calasanctii Fliesser, Episcopi Linciensis.

Atriensem, dioecesi aeque principaliter unita dioecesi Theramensi, Vincentium Gillam Gremigni, Episcopum Theramensem.

Pinnensem-Piscariensem, Benedictum Falcucci, iam Episcopum Diocleanum.

Rottenburgensem, Carolum Leiprecht, iam Episcopum Scyrium.

Palentinum, Iosephum Souto Vizoso, iam Episcopum Elusanum.

Augustanum Vindelicorum, Iosephum Freundorfer.

Scyrium, Iulium Lecouvet, Auxiliarem Exc. P. D. Caroli Himmer, Episcopi Tornacensis.

Aulonitanum, Jesum Martinez Vargas, Auxiliarem Exc. P. D. Raphaëlis Afanador y Cadena, Episcopi Neo-Pampilonensis.

Cemtuanum, Henricum Pinault.

Imchcuvensem, noviter erecta dioecesi, Andream Ioannem Vérineux.

Algizensem, Ioannem Kavanagh, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iacobi Whyte, Episcopi Dunedinensis.

Olivensem, Iosephum Martin, Vicarium Apostolicum Ngoziensem.

Cenensem, Antonium van Oorschot, primum Vicarium Apostolicum Mbeyaensem.

Germanicianensem, Iosephum Guffens, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Henrici van Schingen, Vicarii Apostolici de Koango.

Appianum, Ambrosium Lazik, Administratorem Apostolicum Tyrnaviensem.

Neilanum, Robertum Pobozny.

Civitatis Plebis, Aetium Barbieri, iam Episcopum Euroeensem in Epiro.

Aniciensem, Iosephum Chappe.

Diocleanum, Salvatorem Ballo Guercio, iam Episcopum Mazariensem.

Veszprimiensem, Bartholomaeum Badalik.

Serigenensem, Caietanum Matousek, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Beran, Archiepiscopi Pragensis.

Rhaedestenum, Emmet Michaëlem Walsh, iam Episcopum Carolopolitanum, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iacobi Augustini Mc Fadden, Episcopi Youngtoniensis.

Limisensem, Ioannem Bydolek, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Gottardi Machens, Episcopi Hildesheiensis.

Concordiensem, Victorium de Zanche, iam Episcopum Feretranum.

Nanceiensem, Marcum Lallier.

Elusanum, Iesum Enciso Viana, Administratorem Apostolicum Civitatensem.

Butiensem, Franciscum Tomasek, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Matocha, Archiepiscopi Olomucensis.

Rhandensem, Gulielmum Weskamm, Auxiliarem Exc. P. D. Laurentii Iaeger, Archiepiscopi Paderbonensis.

Nasaitensem, Franciscum Kelly, iam Episcopum Winonensem.

Winonensem, Eduardum Aloisium Fitzgerald, iam Episcopum Cantanensem.

Barquisimetensem, Crispulum Benitez Fonturvel.

Guayanensem, Iosephum Bernal Ortiz.

Cumanensem, Chrisantum Mata Cova.

Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Arthuri Coelestini Alvarez, Episcopi Calabocensis, Antonium Ignatium Camargo, Episcopum Ombitanum.

Ambatensem, noviter erecta dioecesi, Bernardinum Echiverría.

Conanensem, Stephanum Banáš, Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Vojtassák, Episcopi Scepusiensis.

Gomphensem, Franciscum Hyland, Auxiliarem Exc. P. D. Gherardi Patritii O'Hara, Episcopi Savannensis-Atlantensis.

Gazensem, Iacobum Henricum Griffiths, Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Cardinalis Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

Cyanitanum, Vitum Ciamzohoan, iam Episcopum Siniamensem.

Clypiensem, Melchiorem Tchiang, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Leonis Ioannis De Smedt, Episcopi Sivanzeani.

Coeitevensem, Arthurum Quintanilla.

Abellinensem, Ioachim Pedicini, iam Episcopum Arianensem.

ABBATEM « NULLIUS » :

Beatae Mariae Virginis Maris Stellae, Henricum Groner.

Denique Ssmus ratas se habere dixit electiones canonice factas in Synodo Episcoporum Syrorum R. D. Pauli Hindo ad Ecclesiam archiepiscopalem Babylonensem Syrorum; R. D. Dionysii Petri Hindié ad Ecclesiam archiepiscopalem Aleppensem Syrorum et R. D. Gregorii Ephraem Jarjour ad Ecclesiam titularem episcopalem Larissensem in Syria, Auxiliaris Patriarchae Antiochiae Syrorum.

III - POSTULATIO PALLIORUM

Tum personaliter S. Pallium postulaverunt pro sua Ecclesia Patriarcha Hierosolymitanus et Archiepiscopus Calaritanus.

Per Procuratorem autem facta est postulatio Palliorum ab Ecclesiis metropolitanis: *Compostellana, Fomtienensi, Parisiensi, Malinensi* (per successionem); item ab episcopali *Aniciensi,* ex privilegio ad personam.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SCIAMHAEVENSIS
(DE YANGCHOW - DE HAICHOW)

A DIOECESI SCIAMHAEVENSI DUAE PARTES, AD SEPTENTRIONEM DIOECESIS HAMMENENSIS SITAE, DISIUNGUNTUR ET PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE YANGCHOW ET DE HAICHOW ERIGUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Recta Ecclesiarum territorii circumscriptio quam maxime procul dubio prodesse dignoscitur ad dominici gregis curam et regimen facilius procurandum et ad christianum nomen latius inter infideles gentes prolatandum. Hodie siquidem, ad evangelizationis opus in amplissima dioe-

cesi Sciamhaevensi in Sinis expeditius fructuosiusque reddendum, per Apostolicas sub plumbo Litteras *Quo catholicae fidei,* hac ipsa die a Nobis datas, dioecesis illius territorium ita dispertitum est, ut nova exinde dioecesis, Suceuvensis nomine, in meridionali parte erecta sit, cleri indigenae curae tradita, et binae novae Praefecturae Apostolicae in septentrionali parte constituendae; quod quidem nunc per has praesentes Litteras exsequi statuimus. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, praehabito quoque venerabilis Fratris Antonii Riberi, archiepiscopi titularis Darensis et in Sinis Internuntii Apostolici, favorabili voto, dilecti Filii Praepositi Generalis Societatis Iesu, quae hucusque totius dioecesis Sciamhaevensis curam et regimen tenuit, oblatis Nobis praecibus annuentes, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine binas novas Praefecturas Apostolicas in parte septentrionali Sciamhaevensis dioecesis erigimus et constituimus: alteram, civiles subpraefecturas de *Szeyang, Tsinkiangpu* seu *Hweiyin, Hwaian, Paoying, Kaoyu, Yangchow* seu *Kiangtu* et *Icheng* complectentem, quae a principe eiusdem nominis subpraefecturae urbe de *Yangchow* appellabitur, et Societatis Iesu ex provincia regulari Californiae sodalibus gubernandam committimus.

Alteram vero, civiles subpraefecturas de *Haichow* seu *Tunghai, Kanyu, Shuyang, Kwanyun, Lienshui, Fowning, Yencheng, Hinghwa, Tungtai* et *Taichow* complectentem, de *Haichow* nominandam, Sodalium curis committimus eiusdem Societatis Iesu ex provincia regulari Franciae; ambas tamen ad Nostrum et Apostolicae Sedi beneplacitum. Novae itaque utrique Praefecturae Apostolicae earumque Praefectis Apostolicis pro tempore omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus tribueretur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare

praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die nona Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVIII, n. 16. – Al. Trussardi.

II

SCIAMHAEVENSIS
(SUCEUVENSIS)

DIOECESIS SCIAMHAEVENSIS TERRITORIUM, AD MERIDIEM SITUM DIOECESIS HAEMENENSIS, BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS « SUCEUVENSIS » NOMINE, METROPOLITANAE NANCHIMENSI ECCLESIAE SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo catholicae fidei inter infideles gentes prolatatio facilior ac fructuosior evadat, absque dubio valde prodest recta enascentium illic ecclesiarum circumscriptio. Quapropter in partes dividere iuvat dioeceses vastissimo plerumque territorio redundantes, quae vel a vigilantissimo vix queunt Pastore gubernari, et novas exinde ecclesias constituere, aliorum tradendas Praesulum regimini. Quo moti consilio, mentis Nostrae aciem in amplissimam modo intendimus dioecesim Sciamhaevensem, in civili simulque ecclesiastica provincia Chiamsuana in Sinis, duabus distinctis constantem partibus, quarum una ad septentrionem, altera ad meridiem iacet dioecesis Haemenensis. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, attento venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis et Internuntii Apostolici in Sinis, favorabili voto, supplices oblatas Nobis preces dilecti Filii Praepositi Generalis Societatis Iesu, cui dioecesis illa Sciamhaevensis con-

credita est, excipiendas duximus, quibus expostulatum est ut latissimum istius dioecesis territorium ita in partes dismembretur, ut in parte meridionali, ubi indefesso constantique praefatae Societatis Iesu sodalium labore non pauca catholica res suscepit incrementa et missionalia opera multiplicata sunt, nova a Nobis erigatur dioecesis, cleri saecularis Sinensis regimini tradenda; in septentrionali autem parte duae erigantur novae Praefecturae Apostolicae, adhuc Societatis Iesu Evangelii Praeconibus committendae.

Suppleto igitur quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a meridionalis partis dioecesis Sciamhaevensis territorio primum seiungimus civiles subpraefecturas de *Soochow* seu *Wuhsien,* de *Changshu,* de *Taitsang,* de *Kunshan* et de *Wukiang;* harumque territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, quam a principe eiusdem nominis subpraefecturae *Soochow* urbe, *Suceuvensem* appellandam decernimus et Cleri saecularis Sinensis regimini concredimus. Ceterum vero partis illius meridionalis territorium, dioecesim Sciamhaevensem efformans, et ipsum Cleri Sinensis curis posthac commissum volumus.

Aliud porro ex eadem dioecesi Sciamhaevensi territorium ad septentrionem dioecesis Haemenensis situm, per alias Apostolicas Litteras hac ipsa die datas separamus illudque in binas novas Praefecturas Apostolicas de *Haichow* et de *Yangchow,* Societatis Iesu sodalium curis committendas, erigimus.

Novam autem dioecesim Suceuvensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Nanchimensi, eamque idcirco eiusque pro tempore Episcopos metropolitico iuri subiicimus Archiepiscopi Nanchimensis. Episcopi vero sedem in *Soochow* seu *Wuhsien* urbe figimus, et Antistitis cathedram in ecclesia inibi exstante et Deo in honorem S. Ioseph, Sponsi B. M. V., dicata constituimus. Ecclesiae autem Cathedrali et pro tempore Episcopis Suceuvensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia, favores et gratias, quibus ceterae cathedrales atque earum Antistites iure communi fruuntur illosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quum autem praesentis temporis et locorum adiuncta haud permittant quominus et in hac nova dioecesi Canonicorum Capitulum modo constituatur, indulgemus ut pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur at adhibeantur. Ad novae insuper istius dioecesis stabilitatem tuto ac firmiter procurandam praecipimus ut Seminarium pro iuvenum institutione in spem Ecclesiae succrescentium quam primum

erigatur iuxta normas a S. Congregatione de Propaganda Fide praescriptas. Quod autem attinet ad eiusdem Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter attinet, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, clerici dioecesi illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

Episcopalem autem mensam praeter fidelium oblationes et Curiae emolumenta rata pars bonorum constituent dioecesis Sciamhaevensis atque subsidia a Pontificio Opere a Fidei Propagatione novae dioecesi latura. Volumus denique ut omnia documenta et acta novam dioecesim Suceuvensem eiusque clericos et fideles respicientia, a Cancellaria dioecesis Sciamhaevensis ad novae dioecesis Cancellariam quamprimum tradantur ut in huius archivo diligenter asserventur.

Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Sinis Internuntium vel illum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praefuerit, delegamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per

praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die nona Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVIII, n. 14. - Al. Trussardi.

EPISTULAE

I

AD REVM̃IUM P. IOSEPHUM SILVESTRUM JUERGENS, SOCIETATIS MARIALIS MODERATOREM GENERALEM : PRIMO IMPLETO SAECULO A PIISSIMO CONDITORIS EIUSDEM SOCIETATIS OBITU.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Primo revoluto saeculo a piissimo Conditoris vestri obitu, vos addecet omnino, hoc eventum commemorantes, eos renovare ac refovere spiritus, quibus Legifer Pater vester duplicem voluit ab se conditam religiosorum virorum religiosarumque mulierum societatem imbui ac conformari. Quid hoc postulet profecto nostis : postulat nempe non modo ut evangelicam vivendi formam generoso amplectamini animo, non modo ut ad virtutem sanctitudinemque studiose actuoseque contendatis, sed etiam ut temporum

necessitatibus pro viribus vos praebeatis pares, eas omnes apostolatus rationes animose suscipiendo, quas nova induxerit aetas. Hoc in rerum genere Gulielmus Iosephus Chaminade exempla praeclarissima imitanda vobis proponit. Etenim, decimo octavo ad exitum vergente saeculo, dum Gallia omnis formidolosis quatiebatur perturbationibus, atque ipsa civilis societatis fundamenta, religione reiecta, subruebantur, is ex lectissimo illo sacerdotum agmine fuit, qui nullis parcentes laboribus nullisque incommodis, ac saepenumero etiam cum ipsius vitae discrimine in id indefatigabili nisu allaborarunt, ut infuscatas erroribus mentes evangelica veritate collustrarent, ut iacentes multorum animos alloquio et opera relevarent, utque profligatos corruptosque mores christianis impertitis praeceptis caelestisque vitae adiumentis ad rectum iter revocarent. Quotiens ipse, erraticam vitam agens, vel humili opificis veste indutus, vel circumforanei venditoris munere fungens, christifidelium domos vicatim adibat, ut morientibus sacra ministraret, ut nutantes labantesque sedulo confirmaret, ut neglegentes ac dubios ad catholicam retinendam fidem virtutemque assequendam erigeret, ut omnibus denique superna, quibus indigerent, impertiret solacia. Quando vero, publicis populorum condicionibus compositis, a tot rerum angustiis aliquantum Ecclesia respirare potuit, tum strenuus hic Christi miles non inani se dedidit otio, sed alacrius usque contendit ad immania christianae rei damna ac detrimenta pro facultate reparanda. Ac non sine quodam Numinis instinctu duas illas religiosas sodalitates, virorum alteram, alteram mulierum condidit, quas quidem Deiparae Virgini peculiari modo sacratas voluit, et quibus suscepta ab se proposita utilissima stabili ratione efficienda concredidit. Fidelis famuli sui votis atque laboribus benignus arrisit Deus; atque adeo et succrescenti eius subole et uberibus collectis fructibus in praesens quoque laetatur Ecclesia. Pergite igitur, dilecti filii; quae volvitur aetas haud minus profecto christiana novitate christianaque virtute indiget, quam ea, qua Conditor vester suam vitam traduxit. Pergite alacriter; ac Legiferi Patris vestri vestigiis insistentes, id efficite ut vitae contemplationi deditae, ac caelesti gratia alitae, actuosam laboriosamque concordibus viribus coniugatis. Magna Dei Parens ac misericordissima Mater nostra, quam vos ex ipso instituto vestro impensa pietate colitis, incepta operaque vestra valido patrocinio suo tueatur ac provehat; ea praesertim, quae ad christianam iuventutis educationem et ad sacras missiones apud exteras gentes pertinent, itemque quae ad populares civium ordines recte erudiendos instituendosque attinent. In id incumbite indefessa illa sedulitate, qua Conditor vester ad

extremam usque senectutem tantopere allaboravit. Nullo enim aptiore modo poteritis eius vitam eiusque piam commemorare mortem.

Haec vobis ominantes a Deoque supplici poscentes prece, caelestium gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum utriusque religiosae societatis sodalibus, a Gulielmo Iosepho Chaminade conditae, Apostolicam Benedictionem libentissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXX mensis Iunii, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. LAURENTIUM JAEGER, ARCHIEPISCOPUM PADERBORNENSEM: LITTERIS RESPONDET DE S. BONIFATII SOCIETATE IN GERMANIA, PER PLENUM SAECULUM ERGA CATHOLICAM ECCLESIAM OPTIME MERITA.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quamquam non ignotum Nobis erat quantopere Bonifatiana Societas in Germania contulerit ad catholicam promovendam confirmandamque religionem, attamen ex observantissimis abs te datis litteris itemque ex adiectis libellis, manuali prelo exaratis, res Nobis, in plena sua luce posita, luculentior patuit. Siquidem quod praeclarae huius societatis conditores centum abhinc annis sibi efficiendum proposuere, id quidem, in tanta rerum temporumque varietate in tantisque fere undique occurrentibus difficultatibus, firmum consilium atque strenuum inceptum iis omnibus fuit indefatigabili animo exsequendum, qui gravissimam eiusmodi causam, quasi sacra hereditate datam, subinde susceperunt. Templa, sacella, curiales aedes, litterarum ludos ac scholas, ubicumque facultas erat, excitare sollemne habuere in iis locis, in quibus catholici fusi ac dispersi essent inter acatholicorum multitudines. Huc accessit necessarias sacerdotibus suppeditare opes, vasa sacra, liturgicas supellectiles, omneque genus adiumenta, quibus apostolatus opera promoveri possent. Neque ea praetermissa fuere, quae nostra haec aetas peculiari modo postulat; hoc est catholicos iuvenes, inter acatholicos commorantes, recte instituere atque educare; itemque impense actuoseque contendere, ut iisdem in rerum adiunctis constituti pueri — ii potissimum qui derelicti sint ac necessariis opibus carentes — ad divinam primitus

